(4

PIETATI · AETERNAE

MARIAE · CAROLINAE

AVSTRIACAE

SVPRA · OMNES · RETRO · PRINCIPES

INCLYTAE

VNIQVE · MATRI · AEQVALI

MARCHIO · SCIPIO · PATRICIVS

DEVOTVS · NVMINI

MAIESTATIQVE · EIVS

D · D · D

Digitized by Google

AD REGINAM
SEMPER AUGUSTAM.

FUNDE precor lacrymas, Elegeïa, ſolve capillos:
  Auſtriaci cecidit gloria ſumma ſoli.
Sequana dum maeret, Sebethus quaeſtubus auras
  Verberat, & lacrymis auget Iberus aquas;
Ticinus tundit pectus, gemit Addua, lugent
  Hercyniumque nemus, populiferque Padus;
Iſter & incompto reboat per litora vultu;
  Squalor & Eoas occupat ipſe Domos;
Dum riſus hominum generi, dum gaudia demta;
  Dum lacrymae, & luctus, perpetuuſque dolor.
Auguſta Genitrice carens Regina per Urbem
  Ingemit infelix, dilaceratque comas.
Illius aeternuſque dolor, lacrymaeque perennes,
  Inſtar aquae numquam deficientis eunt.
Durior Alpino ſim robore, ſi Tua cernam
  Vulnera, nec fuſis immadeam lacrymis;
Saevior Hircana ſim tigride, ſi ſacra ſpectem
  Funera, nec triſtis permeet oſſa dolor;
Exuerim humanum potius ſenſumque, animumque;
  Si nullus grati ſenſus amoris ineſt.
Gratus ero: votique reum me rite fatebor;
  Quaſque manu grates non licet, ore feram.
Ore feram grates: alius grave congerat aurum,
  Ingenteſque ſacra ad limina ſiſtat opes.
Sirenis Regina potens, tibi carmina dico;
  Pignus habe obſequii, pignus amoris habe.

Digitized by Google

Cui linguam Pitho, formam dedit aurea Cypris,
  Inceſſum Charites, & Themis aequa manus.
Aſcraeum vatis donum eſt, pretioſius Aſcra,
  Eſt tamen hoc donum, qui Tibi ſiſtit amor.
Siſte precor lacrymas, non mortua quippe, ſed aſtra
  Aſcendit Pietas, quo tulit atque Fides.
Siſte precor lacrymas, maeſtas CAROLINA querelas,
  Dum manet in vultu, Matris imago Tuae.

Digitized by Google

EPICEDION.

GRATAE ubinam Muſae? Num vos Peneïa Tempe,
Num vos Pindus habet? Sebethi ad litora adeſte,
Nymphae ubi pullatis plorantes veſtibus, undas
Jugibus exiguas lacrymis auxere parentis.
Quae innumeros populos, terraſque regebat, & urbes,
Et quae illuſtrabat totum virtutibus Orbem,
Nata Auguſtorum, & Genitrix, Auguſtaque Conjux,
Heroum foecunda Parens, Herois & ipſa,
Heu, heu occubuit crudeli morte Virago.
Cara quidem ſoboles Regina Auguſta MARIA,
Tamquam oblita ſui, Majeſtatiſque dolore,
Regali miſſo ſceptro, poſitaque corona,
Pallida & ipſa genas, roſeo fugiente colore,
Et caput incompta, atque exuta purpura, & auro,
Et niveos atris obducens veſtibus artus,
Candida ut obſcura tegitur ferrugine Phoebe,
Occidit ah Genitrix, Genitrix ah occidit, inquit;
O Mater, Mater non amplius; ipſa nec ultra
Jucunda Genitrice carens, heu, Filia dicar.
Vah fera Mors, quinimo ferarum peſſima quotquot
In nigris latitant Erebi, ſtabulantque cavernis;
Tu caput Auguſtum ferro reſcindis acuto?
Auſaque ſacratas lauros foedare? nec arcet
Te vel ſummus honos, nedum reverentia frontis;
Atrox heu atrox vulnus, quo mortua Mater,
Quo fere commoritur transfoſſo Filia corde.
O utinam poſtrema datum decerpere ſaltem

Oſcula! Praecipui ſervarem pignus amoris
Oſcula. Praeterea caeleſtis ſpiritus ille,
Quo jucunda tuis, cunctis quo cara fuiſti,
In mea fluxiſſet nullis prohibentibus ora:
Suxiſſem meliora tui, potiora bibiſſem.
Lumina nec licuit tremula mihi claudere dextra.
Ultimum have, atque vale vita inclamare fugata.
Auguſta infelix dilecta orbata parente
Quaeſtubus hic auras inconſolabilis implet,
Totaque in effuſum lacrymarum ſolvitur imbrem.
Nympharumque cohors, natae Sebethides, illam
Grata Piam, Dominam, Auguſtam miſerata MARIAM
Scilicet a lacrymis quis temperet? Ecquis acerbum
Non tulit, ac ingens tam atroci in funere damnum?
Jam video lacrymis, lugubri veſte madentem
Iſtrum, ingentem Iſtrum, & rapidum, qui praeſidet undis
Omnibus Illyricis, Neptunius aemulus, atque
Cui ſex dena ſinus implent ſacra flumina, & Urbes
Innumeras, populoſque ingentes lapſus aduſque
Alluit Euxinum ſinuoſo tramite Pontum:
Haec loca cuncta fluens Iſter plangoribus implet.
Occidit, exclamat, Princeps heu occidit alma;
Et reſonant ſilvae, reſonant & litora, & aether.
Audit ab occaſu Sol, & Sol audit ab ortu.
Najades hinc, atque hinc moeſtae glomerantur; adaugent
Turba frequens Dryadum, ſilveſtria Numina, luctum;
Quo nemus Hercynium reboant, valleſque reductae,
Rex dolet Eridanus, Ticinus, & Addua moerent.
Et Vos lugete o carae, lugete Camoenae.
Latonae Soboles, Muſarum Rector Apollo
Gratam ſume Chelyn, & dulcia carmina necte.

Quae

Quae ſemper fovit Muſas (quae carior illa ?)
Dilexit, fovitque lubens, ornavit, & auxit,
Auguſta interiit. Debetur gratia, carmen,
Alternum carmen cum Muſis cantet Apollo
Alternis, carmen dicetis lugubre, quale
Cum Nemus, & Colles proſtrati fulmine Nati
Et curvae Valles hinc illinc morte ſonarent.
Lugete o carae, carae lugete Camoenae.
Huc huc Alma Ceres, adſis, huc caſta Minerva:
Quae populis leges ? quaenam ſapientior illa ?)
Gentibus innumeris, leges dabat Urbibus aequas,
Et belli, & pacis reddebat jura verenda,
Et civi, & ſociis, & cara vel hoſtibus, & quam
Et Dux, & Miles grato certamine amabant;
Quaeque feras olim domuit dulcedine gentes,
Pannones & duros, faciles ſibi reddit amore.
Quaeque vel adverſis urgentibus undique frangi
Neſcia, conſtanti cervicem pectore tollit,
Formidanda magis terrorem vertit in hoſtem.
Haud aliter pelago rupes Scironia, ſaevis
Obvia ventorum furiis, duriſque procellis,
Ipſa immota manet, circumlatrantibus undis.
Inventrix quaenam fuit ingenioſior illa?
Artibus ipſa favet, perfecit & ipſa vetuſtas
Artes, quas mire fovit; curavit agrorum
Cultus, cunctarum ſtatuit commercia rerum.
Quis monumenta ſuae pietatis diceret ? Uſqne
Gentibus, & Populis cunctis intenta juvandis;
Alma Ceres, miſera interiit, periitque Minerva.
Ferte citae calathos, date lilia, ſpargite flores;
Lugete o carae, carae lugete Camoenae.

Huc

Huc Themis , huc Charites , tenerorum & Mater Amorum :
Quid fuit integrius? quidnam formoſius illa?
Ah Themis occubuit; periit Venus alma, Virago:
Flet Themis, atque Venus luget, Chariteſque ſorores
Aſſiduae Veneris comites, lacrymantur Amores:
Hic arcum, hic pharetram calcat; jacit ille ſagittas;
Et ſpargunt flores, violaſque, roſaſque rubentes.
Lugete o carae, carae lugete Camoenae.
Si quandoque piae, extinctam modo reddite, Parcae.
Si vitis moriens rediviva repullulat? An non
Et vivax apium, viridanſque reſurgit anethum?
Ah durae Parcae, crudelia Numina, Parcae!
Sed fortaſſe dolet, ploratque vel Atropos ipſa.
Scilicet invitis, ceſſarunt ſtamina, Parcis;
Et Vos ceſſate, o carae, ceſſate Camoenae.

Digitized by Google

A D R E G I N A M

P. F. A.

E P I G R A M M A T A.

I.

FUNERA TERESIAE poſtquam proſpexit Olympo
Juppiter, hos magno reddidit ore ſonos:

LAUDIBUS HEROIS, LACRYMIS PAR VITA, TRIUMPHIS
GLORIA PAR, POPULIS VOTA, DOLORQUE TIBI.

Intonuit laevum, juſſitque hanc vivere Divos
Inter, & in noſtro pectore viva manet.

Tempus & omnipotens, & ineluctabile fatum
Numinis aeterno marmore juſſa notant.

II.

FERTE Rubi violas, anemonem Carduus edat,
Florem narciſſum gignite Juniperi.

Cur pyra non Pinus, nec ficus protulit Ilex?
Acres Cerve canes nunc celer inſequere.

Tuque columba crees Aquilas. Auguſta Virago
Immortalis erat, ſed tamen interiit.

NON

Digitized by Google

III.

NON Ariadna Caput ſtellis redimita refulget?
Fabula quam finxit Dorica garrulitas.

Inter & aſtra locant Berenicen. Credidit autem
Sponſi immenſus amor, ſtultaque ſimplicitas.

Quod Tua te virtus, TERESIA, tollat ad aſtra
Non levis iſta quidem, vanaque credulitas.

IV.

AUGUSTO tumulo aſtat Nuntius ales Olympi,
Sedibus hoc veniens nuntiat aethereis.

Inter Aves quantum ipſe valet, TERESIA tantum
Inter & heroes, inter & aſtra poteſt.

V.

CUM tua jam pietas longe, lateque vagetur
Nullaque gens ſit, vel barbara, quam lateat;

Dum rotet orbe dies, dum ſtabunt ora virorum:
Uſque Tui vivet pectore dulcis amor.

DI-

DISTICHA.

VI.

MOERET Eques, ſqualet Populus, lugetque Senatus,
TERESIAE ad reditum ſidera feſta micant.

SUB EFFIGIE MARIAE TERESIAE.

VII.

HOSTIS Amor, Fortuna Ducum, Lex aequa Tonantis;
Natorum Columen, pauperis uſque Parens.

VIII.

PINGE genas . . . Renuo . . . Cur? Non ſum Cous Apelles;
Finge animum . . . Virtus non valet ipſa . . . Tace.

IX.

MORS gemit, en merito, fruſtra nam fulmina torquens,
Nomen dum credit vincere, victa manet.

IN

Digitized by Google

IN STEMMA AUSTRIACUM
TUMULO MARIAE TERESIAE
APPOSITUM.

X.

QUAE volucrum Regina, Jovis ſum nuncia Terris
TERESIAM ſummas incoluiſſe domos.

XI.

QUAMLIBET immanes tollam, Phrygiaſque columnas,
[illegible] & ſcribam, quodque Epigramma Tuae.

[illegible]debentur ſemper majora, decentque:
[illegible]arvis apto maxima quaeque miſer!

VA1 1517568

Digitized by Google